



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE **PRIMI AMERICAE** IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS
IMMACULATAE,

QUAE SUB TITULO «NUESTRA SEÑORA DE MONTERREY»

IN ECCLESIA CATHEDRALI MONTERREYENSI PIE COLITUR,

PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Primi Americae continentis evangelizatores
Beatae Virginis Mariae cultum ubique propagaverunt, pro certo habentes sane caelestem Reginam sibi auxilium
praebituram. Inter antiquissimas autem Immaculatae Dei Genetricis imagines enitet vulgo dicta «Nuestra Señora de
Monterrey», quadringentos iam annos in urbe Monterreyensi devote servata, quae praesertim a christifidelibus
autochthonibus patrona et tutrix invocatur. Rogante igitur Venerabili Fratrem Nostro Adolfo Antonio S.R.E. Cardinali Suárez
Rivera, Archiepiscopo Monterreyensi, qui litteris die XIV mensis Martii hoc anno datis communia vota cleri et
christifidelium expromit, concedimus libentes ut pulchra multisque gratis praeclara imago Beatae Mariae Virginis
Immaculatae sub titulo «Nuestra Señora de Monterrey» in ecclesia cathedrali eiusdem archidioecesis pie venerata
Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate redimiri possit, persuasum habentes porro Marialem cultum in populo
Metropolis Monterreyensis ad christianae fidei et caritatis florem haud parum conferre posse. Contrariis quibuslibet rebus
non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Iunii, anno MCMXCVI,*

Pontificatus Nostri duodevicesimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana
